

DE PUERIS INSTITUENDIS

Ex librō I cap. XII – XX Īnstitūtiōnis Ōrātōriae M. Fabiī Quīntiliānī

Ecce fragmentum ex librō nōbilissimī auctōris atque rhētoris Quīntiliānī.

In librō p̄rimō Īnstitūtiōnis Ōrātōriae Quīntiliānus nārrat, cūr opus sit ā Linguā Graecā studium litterārum incipere et ā quō annō puerōs docēre oporteat. Nostrīs temporibus discipulī Kalendīs Septembribus in lūdum litterārum īre solent, nam eō diē novus annus acadēmicus incipit, ergō hōc tempore annī cum Quīntiliānō dē puerīs īnstituendīs cōgitāre possumus.

Ā sermōne Graecō puerum incipere mālō, quia

Latīnum, quī plūribus in ūsū est, vel nōbīs nōlentibus

perbibet, simul quia disciplīnīs quoque Graecīs prius

īnstituendus est, unde et nostrae flūxērunt.

Nōn tamen hoc adeō superstitiōsē fierī velim ut diū

tantum Graecē loquātur aut discat, sicut plērīsque

mōris est. Hōc enim accidunt et ōrīs plūrima vitia in

peregrīnum sonum corruptī, et sermōnis, cui cum

Graecae figūrae adsiduā cōnsuētūdine haesērunt, in

dīversa quoque loquendī ratiōne pertinācissimē

dūrant.



ūsus, ūs *m* < ūtī

vel: etiam

per-bibere *sermōnem Latīnum* = haurīre, discere

disciplīna < discere

īnstituere = educāre

nostrae *Rōmānae disciplīnae*

fluere, fluxisse

adeō ... ut = ita ... ut

superstitiōsē = nimis diligenter

sicut plērīsque mōris est = sicut multī facere solent

hōc *adv.*: propter hōc; hinc

vitium, ī *n* ↔ virtūs

vitia ōrīs: puerī male loquuntur

peregrīnus, a, um = aliēnus, barbarus

cor-rumpere, rūpisse, ruptum

corruptus = in malam partem mūtātus

vitia ōrīs *corruptī*

sonus = modus loquendī

assiduus, a, um = perpetuus, cotīdiānus (< cotīdiē)

cōnsuētūdo, inis *f* = quod fierī solet, mōs

haerēre, haesisse, haesum + *dat* = fixus esse

Graecae figūrae *loquendī*

ratiō loquendī dīversa = modus loquendī varius

pertināx, ācis = quī diū tenet neque dēmittit

Nōn longē itaque Latīna subsequī dēbent et citō pariter
īre. Ita fiet ut, cum aequālī cūrā linguam utramque
tuērī coeperimus, neutra alterī officiat.

dūrāre = manēre
sub-sequī
citō = celeriter, post paulum temporis

pariter = simul
aequālis, e = aequus

tuērī = cōlere, discere
officere = prohibēre

īnstituendōs esse nōn putāvērunt

Quīdam litterīs īnstituendōs quī minōrēs septem annīs
essent nōn putāvērunt, quod illa primum aetās et
intellēctum disciplīnārum capere et labōrem patī
posset. <...>

illa aetās = septem annī

intellēctus, ūs *m* < intellegere

Cūr autem nōn pertineat ad litterās aetās quae ad
mōrēs iam pertinet? Neque ignōrō tōtō illō, dē quō
loquor, tempore vix tantum effici quantum cōnferre
ūnus postea possit annus; sed tamen mihi quī id
sēnsērunt videntur nōn tam discentibus in hāc parte
quam docentibus pepercisse.

pertinet ad: convenit

tōtō illō ... tempore

effici = cōnferre = prōdesse

parcere, pepercisse

Quid melius aliōquī facient ex quō loquī poterunt
(faciant enim aliquid necesse est)? aut cūr hoc
quantulumcumque est usque ad septem annōs lucrum
fastidiāmus? Nam certē quamlibet parvum sit quod

aliōquī = tamen, vērō
facient *magistrī*
puerī loquī poterunt

necesse est *ut puerī* aliquid faciant

quantulus-cumque, quantulacumque,
quantulumcumque = quantum vīs parvus

fastidiāre = contemnere, negāre
quamlibet = quam vis

contulerit aetās prior, maiōra tamen aliqua discet puer
ipsō illō annō quō minōrā didicisset.

cōnferre, cōntulisse, collatum = prōdesse
maiōra discet illō annō quō minōrā didicisset

Hoc per singulōs prōrogātum in summam prōficit, et
quantum in īfantiā praesūmptum est temporis
adulēscēntiae adquiritur. Īdem etiam dē sequentibus
annīs praeceptum sit, nē quod cuique discendum est
sērō discere incipiat. Nōn ergō perdāmus primum
statim tempus, atque eō minus quod initia litterārum
sōlā memoriā cōnstant, quae nōn modo iam est in
parvīs, sed tum etiam tenācissima est.

per singulōs *annōs*
prōrogāre = pergere
prōficere = prōcēdere, prōgredi
in summam prōficere = prōcēdere
quantum ... temporis
īfantiā, ae *f* < īfāns
prae-sūmere, sūmpsisse, sūmptum = capere ante
ad-quīrere, quīsivisse, quīsītum = addere
prae-cipere, cēpisse, ceptum = monēre, docēre

sērō = tardē

Nec sum adeō aetātium inprūdēns ut īnstandum
prōtinus tenerīs acerbē putem exigendamque plānē
operam. Nam id in prīmīs cavēre oportēbit, nē studia
quī amāre nōndum potest ōderit et amāritūdinem
semel perceptam etiam ultrā rudēs annōs reformīdet.
Lūsus hīc sit, et rogētur et laudētur et numquam nōn
fēcisse sē gaudeat, aliquandō ipsō nōlente doceātur

sōlā memoriā cōnstant = solum memoriā
postulant

in *puerīs* parvīs
tenāx, ācis (< tenēre) = optimus, quī optimē tenet

inprūdēns, entis + *gen* = ignōrāns
īnstandum *esse* putem
īn-stāre + *dat* = premere
tener, a, um = mollis et tenuis
tenerīs *puerīs*
acerbē (< acerbus) = sevērē
exigere = postulāre, cōgere

amāritūdo, inis *f* = acerbitās (< acerbus)

per-cipere = sentire
rudēs annōs = prīmōs annōs
re-formīdāre = rūsus horrēre
puer potest ... reformīdet

lūsus, ūs *m* < lūdere

ipsō *puerō* nōlente doceātur alius *puer*

alius cui invideat, contendat interim et saepius vincere

contendere = certāre

sē putet: praemiīs etiam, quae capit illa aetās, ēvocētur.

ē-vocāre